



ANIMADVERSIONES IN CLASSEM QUARTAM CONTINENTEM

Rob, Condita, Conservas, & Tragemata
Primò in Rob. descripta pag. 48.



Irca horum & similium *Rob* Compositionem nihil peculiariter annotandum occurrit, cum cuiusvis etiam anui & lippæ dextera eorum præparatio abundè innotescat; præterquam *Rob Juniperini*, quod aliorum more ex *Juniperi fructûs Succo* componi posse, Rationi & Experientia repugnat cum magna etiam *Granorum Juniperi* quantitas vix quidquam *Succi*, utut prematûr, præbere soleat. Aliâ igitur incedendum est via, ac ex *Granis* confusis *Aquâ affusâ* mediante *coctione lenta* *Rob* parandum, quod tamen non parum *Virtutibus suis*, ab *Oleo* eorum diuturnâ *coctione* evanido expectandis, orbatur; nisi damnum hoc peculiari artificio resarciatur, quod aliquo modo fiet *Rob* jam parato addendo *Olei recentis Granorum Juniperi* dragmas aliquot pro ejus quantitate v. g. pro *quaque libra Rob Olei recens destillati* dragmas duas.

In Conditis descripta paginâ 49.

IN *Conditis* illud peculiariter notandum, ut *Virtutes rerum condiendarum* (quantum possibile) conserventur, non tam delicatulorum & effœminatorum Palato, quam *Ægrorum* saluti consulendo: non itaque *Aqua seu Menstruum*, in quo *res condiendæ* infusæ aut decoctæ fuerunt tanquam inutilis abjicienda (ut plerisque *Gulæ* ac *Palati Assentatoribus* in usu est) sed velut rerum *Virtutibus* maximè imbuta ad *Sacchari* dissolutionem (ut *Author* benè notat) adhibenda; interim tamen (si mihi optio daretur) mallem *Radices, Cortices, &c.* præcipuè *aromaticas & odoríferas* in *pulverem* redactas & cum *Saccharo* in *Tabellas* vel *Rotulas* elaboratas aut eorum *Oleosacchara* in usum trahere, quam effœta, inertia, Viribusque propriis castrata *Saccharo delinita Medicamenta* adhibere, non tam *Morborum*, quàm *Crumenæ* levamini apta.

In Conservas descriptas paginâ 50.

NEc meliora encomia merentur *Conservæ*, quæ ob nimium adauctam *Sacchari* respectu *Florum* aut *Herbarum* quantitatem parùm in *Medicina* virium exerere possunt, nisi etiam (ut quidam volunt) propter *Saccharum* Sanitati plurimum noceant, *Ventriculi fermentum* nocivis suis qualitatibus, quas a *Calce viva* hoc inter clarificandum, contraxit invertendo. Quidquid sit, cum *Saccharum* tantùm addatur ratione *Herbarum* aut *Florum Conservationis*, non autem *Flores & Herbe* propter *Saccharum*, sufficiet pro earum *libra una* sumpsisse *Sacchari libram unam & semis*, ut in annum & amplius *Vegetabilium* Virtus protrahatur.

Quantum ad dextram *Conservarum* Compositio-

tionem, cum ea Pharmacopæis, imò etiam non paucis mulieribus sat nota sit, hic fileo: illud tamen in mentem revocando, quod in *Animadversionibus super Aquas destillandas* annotavi; nimirum non paucas herbas & flores in sui contusione gratum, quem ante eam spirabant Odorem, admittere, ac tetrum quid exhalare, ex quo sequitur, ejusmodi *Vegetabilia* antequam *Saccharo* addantur summòdò minutim incidenda, non autem contundenda, unum illud insuper semper sedulò cavendo, ne diuturnis aut violentioribus nimis *Coctionibus Rerum Aromaticarum ac fragrantium* Virtus depereat.

Quantum ad *Tragemata*, quæ *Tabellas* continent, nil peculiariter annotandum occurrit.



ANI-